

Colloquium in ... 1585
 Augusti ... 1590
 Repetitio sana Doctrina Luth. de Cerfo
 na Christi et Coena Domini Praeside Doct.
 Jacobo Andrea Wittemb. 1580.
 M. Frederici Petri responsio ad Scriptu Bremensiu
 adversus Collectores Epologo 1585.
 Oratio Georgii Soffin. Doct. Heidelberg. quomodo studiosus
 ad cognitionem veritatis perveniat
 D. Stimmellii Epistolae p. Johannem Cyleru 1588
 Jacobi Jun. Wolffii hortulus primus. 1582
 Johannis Majoris P. parentatio Duci Electori
 Augusto. 1590.
 Gerhardi Asseburgi Epitaphium Johanni Canonico. 1600
 ejusdem in Pauli Seidelii nuptias
 ej. in Erasmum Johannem.
 ej. in Jacobum Linspaderum
 Simonis Menckii Savitas Vita Conjugalis 1576
 Camina Gratulatoria in Jacobu Schönhausen
 Cathedralis alicuius Episcopi in Magd. burg. Andrea
 Werneri deus Dystoff in Salzwedel 1579
 Johannis Sylvii Eyrani Sermone non unus
 Augusti. 1522
 Luc. Baechefferi loci doctrine praecipui ex Am. 1-4. Post. 1590.

Liber Joachimi Stederi.



EPITHALAMION

IN QVO CONTRA IMPVRVM COE-
LIBATVM ASSERITVR CON-
iugium Ministrorum verbi, & recensentur virtutes eorundem.

Scriptum nouis sponfis,

REVERENDO Dn. IACOBO
LINSTADIO ET MARGARITAE ASSENBVR-
gæ, suæ exfratre Reuerendo & Ornatissimo
Viro Dn. IOACHIMO ASSENBVRGO
Ecclesiæ Tangermundensis Pasto-
re, nepti dilectæ.

Autore

M. GERARDO ASSENBVRGO
Scholæ Gardelegiensis Rectore.



MAGDEBURGI,
Excudebat Andreas Gehen.

1 5 8 4.



EPITHALAMION
REVERENDO D.
IACOBO LINDSTADIO
ET MARGARITAE
Assenburgæ,

 *Um varias orbis partes tu lumine mentis,
Et Romæ dominæ terræ Tarpeia templa
Lustras, ac patrum mitratorum excutis omne
Doctrinæq; genus, Vitamq; examine iusto,
Libras, sponse tibi quæ sit sententia, dicas.
Sed verbis quid opus fuerit, si vita reclamet
Ipsa gregi raso, qui nunc se vertice toti
Ostentat mundo, pravis at moribus orbi
Prodit se toti quàm sit pietatis inanis.
Roma mihi verè est tantorum lerna malorum
Ob quæ cum Sodoma olim funditus igneus imber
In cineres vertit regalia tecta Gomorrhæ.
Naribus hic volitant vncis gryphesq; Draconum
Immitis turba, harpyæ, fædæq; volucres
Et fera cruda nimis, bustis insultat inulta.
Formidat quæcunq; pÿ mens crimina verbis
Exprimere, hæc iactat fædè Sodoma altera Roma.
Si caput inspicias, ventrem, si deniq; crura,
Sordida membra videns dic, heus fædisime Papa
Si est oculus cæcus, tenebræ sunt corpore quantæ?
Vertice fatenti, fetet pedis infima planta.
Prostibula hic stabulant, lenonum hic turgida pera est.
Hic meretrix in honore sedet, spurcusq; Cinædus,
Hic obscæna Venus regnat, sua sceptrâ Priapus
Ventilat: heu Romam pudor & decus omne reliquit,
Nugatur celebs, se casta mente vereri
Numina sancta Dei, verùm hoc non spurcior vllus
Cælibe, qui claudit tantas in pectore labes.*

Labes

Labes totq̄ fouet, quantas nunc prodere non est,
Non has ista sibi labes conuiuia poscunt.
Nam nunc Lindstadius castis defixus ocellis
Quam pia fata dabant, inspectat virginis ora
Pastoris gnatae sancti, nec fœdus adheret
Scortorum generi turpi, turbæq̄ salaci.
Non decus esse nego, si sancta & calibe vita
Numina casta colas Christi tu castus & ipse.
Gloria vis tua sit thalamus, qui comparis expers
Frigidior glacie prolem non procreet vllam:
Fac vt ad exemplum casti vixisse Iohannis
Dicaris, fac vt fueris Paphnutius alter,
Aut qui sacrato de nomine, nomina traxit.
Dotibus at fueris si non tu præditus horum,
Vates Ægypti si emasculat impius ipsum
Se sine, nil moueat te alijs epota cicuta,
Priuetur cybeles Gallus qua parte fuit vir,
Nec tangat nympham, Mysorum qui sacra curat.
Vestalesq̄, Numæ nonnæ non igne calescant
Quæ penitus totis insedit flamma medullis.
Hæc erat errantis gentis sapientia: nostra est
Velle Dei verbo niti, quod præualet omni
Iudicio humano: vana est persuasio mundi,
Ipse sacerdotem quoque summum lege teneri
Coniugij voluit summi sapientia patris,
Qui quam sole nouo tam sole cadente ministrans
Diuinas iussus res mirè intentus agebat,
Non alios sacris præfecit rebus agendis
Antiqui Dominus quoque tempore fœderis, orti
Quàm qui coniugibus fuerant, mundisq̄ Leuitis.
Quamuis tunc fuerint multi quoq̄ cælibe vita
Insignes, viduo thalamo qui ritè iacerent.
Verè ex coniugio nascuntur semina cælo:
Virginitasq̄ perit, perijt si coniugis Vsus.
Quid quod apostolicus, non totus comparis expers
Ordo fuit? mansit Petro sua commoda coniunx.

A ij

Non

Non vult hic cælebs florem consumat ut æui
Ordo sacer, patri primo qui condidit Euam.
Quisquis coniugium fastidis, optima Christi
Dona tuis pedibus conculcas improbe cyclops.
Coniunx an cælebs fuerit non primitus vnquam
Gens sacrata Deo aduertit, verum legit omnem
Quem vel cunque suis ornatum dotibus esse
Credidit, atq; tuo bone Iesu numine plenum,
Et quæ Musa canet post plurima dona ministri.
Huic manus imposita est, sunt huic quoq; credita iuræ
Summa poli, clauēs cæli, præconia Christi.
Scilicet hos inter, tu tanto maior vbique es
Romanæ antistes, phæbus quanto omnibus vnus
Clarior est stellis maiori luce coruscans.
Antiquis maior pietas, lux mentis & illis
Est diuina magis, sunt rancida scrinia Papæ.
Est sanctus Pastor Paulo, qui cælica plantans
Regna, simul castæ veneris torretur abeno.
Nicenæ synodi antiquæ Veneranda corona
Paphnuti tibi subscripsit, qui fœdera casta
Asseris, atq; thorum perpurgas labe iugalem.
Ac suades Domini seruis, cum coniuge purè
Ut viuant. Viuat nomen, vox aurea viuat
Paphnuti tua, dispereant mendacia Papæ.
Per thecas roseis maculis ut poma relucet
Aurea conspersas, & gaudia regibus augent,
Sic vox illa iuuat, quam profers tempore iusto.
Ut preciosa meum recreant vuguenta cerebrum
Sic tua Paphnuti vox melle est dulcior omni
Qui se legitimo constringunt iure, ministris,
Mutuaq; ardenti decerpunt gaudia mente.
Ex Græcis dederant quotquot tibi nomina Christe,
Quotq; pios tolerat crudelis Turcia, vates,
Persarum quotquot venerantur numina Iesu,
Iura his vilescunt cunctis tua sordida Papa,
Cum casta viuunt, sociantq; cubila Sponsa.

Verum

Verum nam perimit non vis non secula multa,
Sed sibi quid voluit tandem vesana tyrannis.
Pontifices vestra hæc, quæ rumpit vincula sancta?
Nempè ut perspiciam quàm sint hæc Dæmoniorum.
Decreta ex stygijs exhausta paludibus. Ergo,
Ecquid Roma daret tibi quod pie Christe placeret:
Sub iuga fortè ferox quoq; traxeris impia Papa,
Ordinis impuri Monachorum, qui sibi iura
Arrogat, ut secum teneat ducatq; sororem
Diuinum Paulum? Papæ, quis nam obstitit vnquam
Terminus? hic siquidem regnans Acheronte sub imo
Cælitibus quæcunq; volet dat iura, Vicissim
Quæ placuere diu, mutata mente refigit,
Est debacchantis Papæ vis tanta corona.
Quem iuuat ut Christo miles benè militet, orco
Exemptasq; animas Christo despondeat vni.
Hic prius angusto vult regnet pariete Paulus,
Et regat imperio sua pignora cara paterno,
Rectius ut doceat populum vestigia Christi
Seruare, & iustis studiosum insistere captis.
Vel probus ut gnatus vel sic monitoribus asper,
Exemplis patrum non calcar acutius vllum est.
Hoc lupa deridet, dictisq; incessit amaris,
Ipsa suum in ventrem, Christi descendat Ouile
Noctes atque dies querens fera bestia Papa.
Qui vult vna caro duo sint, non submouet vllum
Hac de lege Deus: patris vult illa voluntas
Sit rata, naturæ consors & imago paterna.
Illis Romanus sed longè oculatior Argus
Lege Dei tali clericos ecce excipit omnes
Amens, atq; ipsi vult magna oracula IOVÆ
Tradere. Gentilis pietas est maior Homeri.
Huius namq; Deus constringit cuncta catena,
Et trahit ac retrahit quò vult sua sancta voluntas,
Noster Aristæus tentat non Prothea nexu
Stringere, sed DOMINVM duris innectere vinculis,

Vah quanta impietas, DOMINVM tu vincere Cyclops
Viribus humanis tentas: sed fulmine stratus
E Iouis emisso dextra, non amplius vnquam
Oppugnare ausis cælum furialibus ausis,
Ex ipso vestro prodibunt semine nati
Ipforum vestro iugulent qui fortiter ense
Vos, vestras nugas profligent, dogmata spurca.
Prodi bunt dico? iam dudum prodijt iste
Interpres iuris vestri non inscius Abbas.
Paruulus vt quondam Daniel castigat acerbe
Susannæ testes repletos fraude dolisq̃.
Et velut impuram Dominam Iosephe refutas,
Sis licet ipse ætate minor, sisq̃ impare sorte.
Os iuuenile, Dei iussu, quæ tela vibrabat
Fortiter hæc frangunt Babylonis mænia fæda,
Namq̃ Dei virtus in talibus ardua splendet.
His bene fecisti, quod te coniunxeris ipse
Sponse Dei verbi præco, Christi q̃ minister,
Vt casto sanctum venereris pectore Christum.
Nunc quæ porro tibi mea pandet dogmata Musa
Si bene seruabis, fueris aurata columna
Ipse Domus Domini, suavis quoq̃ victima Christo.
Metiri se quenq̃ suo modulo ac pede iustum est.
Luceat in dictis factisq̃ modestia sancta,
Dona tui ingenij reuerenter cuncta tuere,
Non hinc insleris, nec agas tu more tyranni,
Quenquam corporea vi nullus cogito, sacris
Inter vt esse velit, firmis rationibus ipsos
Aggredere, & capies quàm plurima corpora Christo.
Regis ad exemplum cœlestis, mitia corda
Qui sua decantat: pullos munimine sacro
Quæ gallina fouet, dispersos conuocat, alis
Vulturis & rictum clangentibus obstruit ipsa.
Mores sint faciles, & sanctis vsibus apti
Labenti ignoscas facile, & tu totus in hoc sis
Commoda quo cures aliorum & damna rependas.

Non

Non secus ac bos cultor agri se mancipiat vni
Perpetuò agricolæ, vitam cui impendit & ipsam.
Impiger hinc populo tradas mysteria Christi,
Dogmata nec cures quicquam contraria mundi,
Non latumq; pilum cedas de tramite recto
Si sit opus, Christi præconia sanguine fuso
Obsignes, cingat caput vt post dia corona,
Firma tuam mentem præstet constantia sanam,
Qua sine virtutum iactamus somnia vana.
Non grauet ipse labor manuum te, dira cupido
Cum ventrem stimulatq; fames extrema minatur.
Condoleas fratrum ærumnis: queis languida membra,
Hos crebro inuisas: mæstis solatia dicas.
Desperabundos baculo verbi erige pastor,
Pauperibus pateant semper granaria plena,
Re, sis consilioq; potens tu copia cunctis.
Sit lux alma alijs tua conuersatio sancta.
Quando Deo puris precibus vis ritè litare,
Deuota accendat sincerus spiritus ima
Pectora, flagrantem motus, vt quisq; sequatur
In cælum ex imo ducens suspiria corde.
Iusticiam spirent tua vox, tua vita, tuum cor,
Cuiq; suum reddas, precium pro mercibus atq;
Non parcus soluas, dia virtute sine ista,
Viuere nemo potest, nec quit consistere mundus.
Sancta Euangelij pulchro ordine dogmata Pastor
Dispenses, gemmas verbi lutulenta ruat sus
Præcaueas etiam atq; etiam, nam fercula sunt hæc
Christi purpureo mundatæ sanguine menti
Debita: sunt suibus paleæ, sunt turgida grana
Spargenda agniculis, & pabula pinguia sanctis.
Verba verecundus facias fac inter adultos,
Candida dic pueris, æqualia dixeris æquis,
Molliaq; egrotis, validis da frustula spissa.
Matronam pro matre colas, cum virgine casta
Purè verferis, speculum sis ipse pudoris.

Æquè

*Æquè namq̄ valet doctrina & vita docentis.
Vera doce, sanctæ lux splendeat aurea vitæ,
Libertate pia, vt tu dogmata falsa refutes,
Noxia corripias multis quoq̄ scandala membris.
Si quæ alijs prohibes designas crimina, nonne
Ipse geris mentem prauam linguamq̄ ligatam?
Et canis es mutus, diro quoq̄ verbere dignus?
Ergo caue, quantumq̄ potes, benè scandala vitæ.
Non medicus fuerit, lanius sed perfidus iste
Qui curanda sibi crudelis membra trucidat.
Mundabant puris lymphis sua vasa Leuitæ,
Sanctæ Deo quoties deuoti dona ferebant,
Sic animæ sint membra tuæ sic corporis vnâ
Candida, quæ purus Christo des thuris honores.
Ex æquo tandem erga omnes sit cura paterna,
Patri namq̄ pio nullus contemnitur infans,
Vile pecus pastor tam curat, fortia quàm quæ,
Sic pater atq̄ Abbas fueris, sic deniq̄ Papa.
Cumq̄ reuertetur cælestis Episcopus ille
De cælo Christus, tibi præmia grandia soluet.
Ardua sed nimium tu dicis, munia sunt hæc,
Quæ præstare quidem iucundum, sed caro nostra
Torpida tam excelsum nescit conscendere montem.
Sic cõt. In Christo sed possumus omnia, qui nos
Confortans, pueros vel præstat idonea cælo
Organa. Sic Satanæ robur disperdere gaudet.
Ergo nunc pie nate Dei tibi supplice voce
Menteq̄ deuota, nostra hæc tibi thura litamus,
Vt nostris sponjis infundas limpida vina,
Quæ tritas animas nostras cum corpore sanent:*

F I N I S.

1534 04

AB 153404


ULB Halle 3
002 671 190



SR







13.

EPITHALAMION

IN QVO CON-
TRA IMPVRVM COE-
LIBATVM ASSERITVR CON-
iugium Ministrorum verbi, & recensentur virtutes eorundem.

Scriptum nouis sponsis,

REVERENDO Dn. IACOBO
LINSTADIO ET MARGARITAE ASSENBVR-
gæ, suæ exfratre Reuerendo & Ornatissimo
Viro Dn. IOACHIMO ASSENBVRGO
Ecclesiæ Tangermundensis Pasto-
re, nepti dilectæ.

Autore

M. GERARDO ASSENBVRGO
Scholæ Gardelegiensis Rectore.



MAGDEBURGI,
Excudebat Andreas Gehen.

1 5 8 4.